

tates, sed etiam longe graviores. Et quidem temere prorsus ac immerito constans quaedam, perennis, ac invariabilis motuum series dependenter a sola partium textura externorumque corporum ordine & actione, in humano corpore futura supponitur; cum experimento ipso compertum sit corporis nostri motus ab extrinsecis etiam subitisque causis mirifice variari, ita ut motuum nostrorum series non ex intrinseco quodam constantique principio, sed ex innumeris prorsus arbitrariisque causis oriatur. Accedit etiam quod experimento ipso perspicue apparet animum aliquando motibus & affectionibus illis obsequi & assentiri, quæ excitantur in corpore, sed aliquando tamen iis resistere ac dissentiri, ita ut nulla constans ac invariabilis similium motuum series vel harmonia effingi possit, qua dum motus quidam in corpore excitatur, similis alter & consonus in anima producat. Denique perfecta libertatis idea requirit, ut humanus animus suorum actuum dominus auctor & causa esse debeat; non alia de causa illos exerat, nisi quod illos exerere velit, eoque imperio ac libertate corporis etiam motus sequi, aut iis resistere, eos efficere, aut ab iis abstinere possit. Hæc igitur remanet semper, ut jam observatum est, gravissima difficultas, motus corporis esse necessarios, utpote quia alii esse non possunt quam qui existunt. Neque est quod dicant Leibnitianæ hypotheseos assertores, inter motus corporeos duntaxat & perceptiones animæ, non vero inter appetitiones ejus hanc harmoniam fuisse præ-